

## **Quaestiones medicae controversae, de peste / [Samuel Kinner].**

### **Contributors**

Kinner, Samuel, active 1626.  
Sennert, Daniel, 1572-1637.

### **Publication/Creation**

[Wittenberg] : C. Tham, 1626.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tt8vcp7w>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

5564  
4589  
**QVÆSTIONES MEDICÆ**  
CONTROVERSÆ,

**PESTE,**

*Quas*  
**Christo Archiatro summocoeli-**  
tus aspirant,

*In celeberrimâ Septemvirali ad Albim Academiâ,*

S U B P RÆSIDIO

*VIRI PRÆCLARISSIMI, EXCELLENTISSI-  
MI AFQVE EXPERIENTISSIMI,*

**DN. D. DANIELIS SENNERTI,**  
Philosophi & Medici celeberrimi, Facult. Med. Profess.

Publ. primarii, & ejusdem Collegii Senioris meritissimi:  
Dn. Promotoris, Preceptoris & Hospitis sui ætatèm  
venerandi,

*Publicè discutiendas proponit*

**S A M U E L K I N N E R,** Vratisl.

*Ad diem 21. Junii, Horis ab 7. matutin. in Auditorio  
MEDICORUM.*

*W I T T E B E R G A E,*

Ex Officina typographica CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

---

*ANNO 1712 CXXVI.*

ЕУДАИОНОСТІ ВІДІОВІ

ІЗОЛІДІВІ

20

Б. Т. Г. Е.

нко

Гіліївські місіонерські

записки

4589



навчальні

записки

з підручниками

з розрахунками

Ізраїльські місіонерські

записки

S U R O S W.

## QVÆSTIO I.

*In quo Natura Pestis consistat?*

**D**E PESTE, quæ scil. Homini solùm lethalis & fatalis existit, disputatur; primò, ut in ejus naturam paulò altius inquiramus, methodi ratio svadere videtur. Ubi qvidem variæ & maximè dissidentes variorum Authorum sese nobis offerunt opiniones: qvippe qvod plurimi, iijq; non postremæ authoritatis Medici, Pestem ex sola putredine; sed nescio qvâ tandem, dum qvilibet ferè certum & peculiarem hujus modum & gradum sibi fingere videatur, deducere unicè conentur: Verùm cum Ratio, & ipsa rerum omnium Magistra Experientia aliud dictare videantur, & nos in nullius juremus verba Magistri; facile nos veniam promereri posse arbitramur, si ab eorum placitis recedamus, & qvid firmissima & immota illa duo Medicinæ *κατάλεξις*, Ratio, & multorum à multis seculis Experientia statuere jubeant, videamus.

Primò autem, cum omnia ad qualitates manifestas deducere, summa impudentia sit: teste Scal. Exerc. 218. s. 8. Et iis qui id tentant, plerumq; eveniat id, ut Gal. inquit lib. 1. de facult. nat.c. 14. ut vel rationes absurdas, ineptas & ridiculas adferant, vel ea negent, qvæ etiam Experientiâ certâ confirmata sunt: næ hoc in Peste, si in quo morbo alio, est verissimum.

Videas enim in Peste actiones læsas in partibus similaribus, qvæ ad nullam manifestarum qualitatum intemperiem aut errorem externum referri qveant; & Effectus, qui omnem qualitatum manifestarum vim & *ἐνέργειαν* excedant, imò nunquam in earum potestate fuerint: Nihil autem agit ultra virtutem suæ speciei: Non enim manifestarum qualitatum actio loquentes aut incedentes adhuc, tanquam syderatos aut fulmine ictos, nullis

adversæ valetudinis signis præexistentibus, trucidat, ceu Pestis non raro facere consuevit, teste Schenckio lib. 6. Observ. ex Valeriol. loc. comm. l. 3. c. 18. Salio Diverso lib. de Pest. c. 5. Cardan. comm. ad lib. 5. Aph. Hipp. Gemm. lib. i. c. 17. cosmocrit. Neq; eadem in minimâ subiecti quantitate maximas vires obtinent, aut in distans suas vires diffundunt, seu per contagium afficiunt. Ergò Pestis natura & Essentia è manifestis qualitatibus haud petenda.

Porrò Pestis non curatur medicamentis calidis, frigidis, &c. ceu reliqui manifestarum qualitatum morbi curari consuevere; verum Alexipharmacis, quæ solâ qualitate occultâ id quod præstant efficiunt: Curationem autem constat fieri per contraria: Ergò in qualitatem aliam occultam sibi contrariam agant necesse est. Et proinde Pestem in qualitate aliquâ occultâ consistere statuimus. Quæ autem specifica qualitatis hujus natura sit, & quæ in quâlibet constitutione pestilente, cum Pestis maximè variet, differentia: nemo, cum occulta sit, adhuc satis explicare visus est. Nonnulli ab effectu, quem edit venenorum effectui analogum, nunc per veneni Arsenicalis, nunc Mercurialis, nunc Visperini aut Napellini &c. occultam qualitatem eam indigitant, verum æquè ferè obscurum per obscurum; cum non minus illorum atq; hujus naturam nondum satis cognitam atq; perspectam habeant, & inter hæc ipsa venena analogâ & pestem detur adhuc differentia quædam specifica. A formâ quidem peculiari eam fluere probabile est, quæ qualitati illi conjuncta, pro ut ipsa variat, ita ut hæc Pestis ab illâ variet, & symptomata hujus ab illius differant, in causa est: Ut autem hæc ipsa, ceu reliquæ formæ omnes, nos latet; ita & qualitas illa occulta proximè & immedia- tè ab eâ emanans, sensum nostrum effugit, verbisq; nisi quantum ex effectu eam cognoscere licet, satis exprimi non potest. Hippocrates eam per τὸ θέλον, Galenus per causam præpotentem explicare videntur: verum arcana hæc nobis sunt & abdita, quæ natura nos mirari potius quam scire voluit, ut loquitur Fernel. z. de abdit. rer. caus. c. 17. p. 254. & quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis, ut Scal. inquit Exerc. 218. s. 8. Pestem insuper

actio-

actionis celeritate, s̄ævitia, nec non lethalium symptomatum, multitudine & pravitate, ipsâq; subitâ jugulandi vi, & judicii seu ~~κρίσεως~~ difficultate & infidelitate, venena exactè æmulari, vel ipsa testatur Experientia. Qvis enim omnia h̄ic in præcipiti casu posita esse, pestemq; venenorum more lædere ignorat: adeò qvidem, ut deleteriis non solùm annumerari; verùm omnium venenorum præsentissimum & perniciosissimum jure dici mereatur: qvippe qvod omne venenum à naturâ aut arte productum, non modò æqvæt, qvin potius superet & excedat, teste Gal. de theriac ad Pison. Pestis, inquit, tanquam & ipsa existat quædam bellua, haut paucos interimit, verùm civitates quoq; totas depascens miserè conficit. Addo, qvod pestis, non nisi exquisitissimis antidotis, qvæ venenis in primis resistere apta nata sunt, cedat: Ergò occultam illam Pestis qualitatem venenatam quoq;, & intrinsecâ sui naturâ, atq; adeò innato sibi substantiæ modo, noxiā & exitiosam agnoscimus. Verùm hæc non, nisi soli homini talis existit; & qvamvis qvidem reliqua animantium genera pilosâ suâ pelle contagio fomitem præbere, idemq; de loco in locum transferre, atq; hominibus affricare possint, ipsa tamen haut inficiuntur. Ita scil. differt corpus à corpore, & temperamentum à temperamento: Neq; enim omni animantium generi eadem aut non conferunt aut commoda sunt, sed sunt alia aliis magis convenientia, inquit Hipp. lib. de flat. t. 20. Et, ut Venenum non omni animalium generi venenum existit; sed ei solùm speciei, cui peculiarem antipathiam & inimicitiam indixit: Ita res contagiosa etiam non omnibus contagiosa est; sed ei solùm animalium speciei, à cuius individuis contagium fluit. Et hæc ratione Pestem, de qvâ agimus, soli homini venenosam & contagiosam esse, atq; à totâ sui substantiâ peculiari qvâdam proprietate & antipathiâ contrariari statuimus: qvæ tamen & ipsa, ceu reliquæ rerum sympathiæ & antipathiæ in hæc naturæ caligine omnino nobis illudit.

Cum autem venena plerumq; certæ & determinatæ cuidam corporis parti magis adversentur qvâm reliquis: Ita hæc ipsa veneni pestilentis antipathia Cordi in primis contrariari conservavit.

Et quāvis qvidem venenum hoc in corde non semper & prima-  
riō resideat, cum una pars alterā sēpē sit infirmior, & contagium  
non semper per eandem partem in corpus recipiatur: ut Gal ha-  
bet 3. Epidem. com. 3. text. 17. partem tamen illam primō saltem  
affici concedimus: primariō autem & gravissimē eandem labo-  
rare negamus. Ergo licet venenum hoc adeò qvidem corpori  
nostro adversari videatur, ut omnes omnino partes summoperē  
lædere queat; cordi tamen in primis contrariari, & illud prima-  
riō (licet non primō,) & gravissimē afficere asserimus; Id quod  
ipsum vel summa facultatis vitalis læsio, & repentina virium de-  
jeçtio, quae semper & in omni Peste in primis urgent, atq; potissi-  
mum symptomata constituunt, satis abundè docent. Idem alia cor-  
dis gravissimē affecti signa & symptomata, atq; inopinata sēpē  
mors, quā Peste correpti subitō, & multō citius, quām pro partis,  
quae affici videbatur, morbi naturā extingvuntur: Imò ipsa cura-  
tio, quae cordi unicè prospicit, & Antidota, quae cor simul corro-  
borandi vim obtinent, testatum faciunt.

Verūm, cum occultum quā tale, aliter nisi occulto modo age-  
re nesciat: Pestis autem, quando Spiritus & humores corpori no-  
stro suā naturā amicos & familiares, eidein inimicos reddit, & in  
sui naturam convertit, occulti rationem habeat: aliter etiam nisi  
occulto modo agere nesciet: & proinde Qualitatem illam Pestis  
occultam, occultam quoq; spiritus dissipandi, eosdemq; & hu-  
mores peculiari & sibi proprio modo corrumpendi vim obtinere  
asserimus: peculiari & sibi proprio modo inquam: Ut enim res  
formis differunt, ita & operationibus formaliter ab iis emanantibus.  
Non verò, per modum putredinis ut hæc ipsa inducatur  
corruptio, necessariō sequitur; siqvidem latius pateat corruptio  
quām putrefactio, & generatio unius, sit qvidem corruptio, non  
autem necessariō putrefactio alterius, nihilq; subitō ad istum mo-  
dum putrescat, ut animatum concidat: Et naturalis qvidem mi-  
storum corruptio, quae lege naturæ ex vicissitudine corporum na-  
turalium accidit, atq; lentè mediantibus qualitatibus primis in-  
ducitur, ferè per modum putredinis introduci consuevit: Vene-  
norum autem toto genere pr. naturalis & violenta non item.

Ergo

Ergò cum in reliquis vescenis peculiariis quædam citra putrefactio-  
nem corrumpendi humores vis reperire sit: (Nemo enim facile  
floridi & vividi coloris in cute à serpentis morsu in citrinum mu-  
tationem, putredini, & non potius peculiari humorum corrū-  
ptioni acceptam referet:) quā pestilenti veneno omnium præsen-  
tissimo & perniciosissimo eadem denegari poterit: Et proinde  
hoc occultâ & peculiari quādam fermentatione humores &  
spiritus in sui naturam convertere probabile est. Qvanta enim  
vis fermenti sit, vel vulgus novit; cujus momentum massæ fer-  
mentandæ subactum, brevi spatio totam ejus substantiam in sui  
naturam convertit: Simili E. ferè modo & tantillum veneni pe-  
stilentis in corpus receptum, spiritibus & humoribus ilicè ex-  
actè sese permiscet, iisq; qualitatem & naturam sibi similem in-  
ducit, atq; occultâ & peculiari mistione, digestione, & fermenta-  
tione, contagium alios inficiendi potens generat. Unde Pestis  
præter vim illam corrumpendi humores contagiosa quoq; est;  
potestate scil. & qvò ad actum primum semper; licet non semper  
qvò ad actum secundum, qvæ variis de causis impediri posse non  
ignoramus.

Qvæcum ita sint: Pestis Essentiam in occultâ quādam, in-  
explicabili, & venenatâ qualitate constituimus; qvæcum solo  
Homine peculiarem Antipathiam foveat, & in primis cordi con-  
traria existat, spiritus occulto modo dissipandi, aut eosdem & hu-  
mores peculiari, & sibi proprio modo corrumpendi vim obti-  
neat, adeoq; plurimos qvos corripit, interimat, aliosq; inficien-  
di potentiam habeat.

Putredinem E. de Pestis Essentiâ penitus excludimus: cum  
in eâ, qvocunq; etiam modo terminetur, nihil nisi manifestarum  
qualitatum actio appareat; & nulli alii morbi è putredine exci-  
tentur, nisi qvi qualitatum primarum & manifestarum excessu  
consistant. Cl. Dn. D. Præf. in tr. de febr. l. 4. cap. 1. pag. 700.  
In Peste verò, qvâ Pestis, nulla talis actio appareat: Putredo E.  
de Pestis Essentia non participat. Mitto, ne longior sim;  
Qvod putredinis signa sœpè neq; in aere, neque corpore infe-  
cto deprehendantur, & urinæ sanorum urinis ut plurimùm re-  
spondeant: Putredo autem larga, fœrida & profunda, qvalem  
hujus

hujus opinionis Patroni comminiscuntur, latere nequeat: Imò qvod alia animalia, putredini maximè obnoxia, non inficiantur; & res putridissimæ nihil pestilentia contineant, neq; hominem inficiant, febresq; aliæ putridæ, qvæ sæpè longè majore, qvam ipsa Pestis, putredine scatent, nullam pestilentiam præ se ferant. Ut ergò Pestis ex putredine, ita & hæc ex illâ per se deduci nequit: qvamvis eam s̄epius cum Peste conjungi, aut tandem excitari posse, non negemus: qvia scil. qvi humores regit & moderatur calor nativus, per accidens agitatione humorum auctus, in corpore impuro, & vario modo ad putredinem disposito, eam facile è potentiatâ in actum dedit: aut idem ab occultâ pernicie obsessus succumbit, concidit, & penè extinguitur, ita, ut humores amplius regere nequeat; qvi caloris sufficiente regimine destituti, proprii & sui juris fiunt, putredinemq; ex accidente contrahunt. Hæc igitur specificæ illi humorum à venenatâ qualitate, introductæ corruptioni conjuncta, qvâvis putredine aliâ fædior, sordidior, & profundior evadit. Addo & hoc: Si fortè ab ipso veneno seu contagio pestilente in corpus recepto, putredo excitetur; qvod eam à veneno non ut veneno, sed ut & ipso suis primis qualitatibus instructo, in corpore disposito introductam fuisse argumento sit.

## QVÆSTIO II.

*An detur certa & peculiaris ad Pestem recipiendam in homine Dispositio?*

Consideratâ hactenus Agentis Essentia; Patientis quoq; Naturam ut videamus, & num certa & peculiaris qvædam ad Pestem suscipiendam detur in homine dispositio, inquiramus, operæ pretium videtur. Cum autem actus activorum non fiant & recipiantur nisi in subjecto benè disposito: (non enim qvodvis agir in qvodvis obvium, sed determinatum in determinatum, omne agens atq; requirit suum prædispositum & proportionatum patiens:) Et actus veneni pestilentis fiant & recipiantur in solo Homine, vel potius certis & determinatis hujus speciei individuis: Sæpè enim nonnulli levi de causa, & ubi vix obiter cum uno peste

peste infecto sunt conversati, à contagio pestilente corripiuntur, reliqvis in eodem aut majore periculo constitutis impunè ferentibus. Vespillones scil. & clinicos, qui ægris operas suas destinaverunt, plurimosq; infectos tūm viventes tūm mortuos tractarunt, immunes non raro evadere videmus: Et Cardan. meminit lib.8. c. 40. variet. Cum biennio Basileæ degeret, Pestem eos solūm afflixisse, qui Helvetii essent, adeò, ut eo tempore toto vix unus aut alter ( dictu mirum ) Gallus aut Italus obierit. Concludimus inde; Actus veneni pestilentis in Homine ut paciente dispositi fieri & recipi: Et proinde dabitur in Homine certa & peculiariis qvædam ad Pestem recipiendam dispositio, qvalis in reliqvis animalium speciebus prorsus reperiri nequit, atq; in iis, de quibus diximus, individuis, tam prompta & præsens ad Pestem suscipiendam habilitas, qvalis in reliqvis humanæ speciei corporibus, qvæ in eodem aut majore periculo versantur & non inficiuntur, deprehendi non licet.

Qvæ & qvalis autem sit illa Dispositio, aut in quo constat, magnum nobis facessit negocium. Cùm verò contraria diognoscantur contrariis: ceu qvæ juxta se posita magis elucent; Agensq; & Patiens semper inter se sint contraria, qvod omnis actio fiat inter contraria, qvæ sub eodem genere continentur, & agens agat, ut sibi simile reddat aut ē subjecto expellat patiens: Agens autem in Peste, ut ex præcedente qvæstione constat, sit Qualitas occulta, inexplicabilis, venenata, Homini & in primis cordi, peculiari qvædam antipathia contraria, spiritus occultâ ratione dissipans, aut eosdem & humores peculiari, sibi propriō, & specifico modo corrumpens. Ergo patiens Agenti contrarium, erit Qualitas occulta s. inexplicabilis, (& ita genere convenient) non venenata, Homini, & in primis Cordi, peculiari sympathia amica & familiaris, spiritus occultâ ratione colligens, eosdemq; & humores peculiari & specifico modo fovens atq; conservans. Qualis qvædam vis & qualitas non nisi à Formâ immediatè emanare, & in Corde præcipue residere potest: Estq; certa & peculiaris qvædam corporis & cordis proprietas, cuius ratione pestilenti veneno resistere potens existit, Alexipharmacorum facultati

hujus opinionis Patroni comminiscuntur, latere nequeat: Imò  
qvod alia animalia, putredini maximè obnoxia, non inficiantur;  
& res putridissimæ nihil pestilentia contineant, neq; hominem,  
inficiant, febresq; aliæ putridæ, qvæ sæpè longè majore, qvam  
ipsa Pestis, putredine scatent, nullam pestilentiam præ se ferant. Ut  
ergò Pestis ex putredine, ita & hæc ex illâ per se deduci nequit:  
qviavis eam s̄epius cum Peste conjungi, aut tandem excitari pos-  
se, non negemus: qvia scil. qvi humores regit & moderatur calor  
nativus, per accidens agitatione humorum auctus, in corpore  
impuro, & vario modo ad putredinem disposito, eam facile è po-  
tentia in actum ducit: aut idem ab occultâ pernicie obsessus  
succumbit, concidit, & penè extinguitur, ita, ut humores amplius  
regere nequeat; qvi caloris sufficiente regimine destituti, propria  
& sui juris fiunt, putredinemq; ex accidente contrahunt. Hæc  
igitur specificæ illi humorum à venenata qualitate introductæ  
corruptioni conjuncta, qvâvis putredine aliâ fædior, sordidior,  
& profundior evadit. Addo & hoc: Si fortè ab ipso veneno seu  
contagio pestilente in corpus recepto, putredo excitetur; qvod  
eam à veneno non ut veneno, sed ut & ipso suis primis qualitati-  
bus instructo, in corpore disposito introductam fuisse argumen-  
to sit.

## QVÆSTIO II.

*An detur certa & peculiaris ad Pestem recipien-  
dam in homine Dispositio?*

Consideratâ hactenus Agentis Essentia; Patientis qvoq;  
Naturam ut videamus, & num certa & peculiaris qvædam ad  
Pestem suscipiendam detur in homine dispositio, inquiramus, o-  
peræ premium videtur. Cum autem actus activorum non fiant  
& recipientur nisi in subiecto benè disposito: ( non enim qvod-  
vis agit in qvodvis obvium, sed determinatum in determinatum,  
omne agens atq; requirit suum prædispositum & proportionatum  
patiens: ) Et actus veneni pestilentis fiant & recipientur in solo  
Homine, vel potius certis & determinatis hujus speciei individuis:  
Sæpè enim nonnulli levi de causa, & ubi vix obiter cum uno  
peste

peste infecto sunt conversati, à contagio pestilente corripiuntur, reliqvis in eodem aut majore periculo constitutis impunè feren-  
tibus. Vespillones scil. & clinicos, qui ægris operas suas destina-  
runt, plurimosq; infectos tūm viventes tūm mortuos tractarunt,  
imunes non raro evadere videmus: Et Cardan. meminit lib.8.  
c. 40. variet. Cum biennio Basilæ degeret, Pestem eos solūm  
afflixisse, qui Helvetii essent, adeò, ut eo tempore toto vix unus  
aut alter ( dictu mirum ) Gallus aut Italus obierit. Concludi-  
mus inde; Actus veneni pestilentis in Homine ut paciente dispo-  
siti fieri & recipi: Et proinde dabitur in Homine certa & peculia-  
ris qvædam ad Pestem recipiendam dispositio, qvalis in reliqvis a-  
nimantium speciebus prorsus reperi nequit, atq; in iis, de quibus  
diximus, individuis, tam prompta & præsens ad Pestem suscipi-  
endam habilitas, qvalis in reliqvis humanæ speciei corporibus,  
qvæ in eodem aut majore periculo versantur & non inficiuntur,  
deprehendi non licet.

Qvæ & qvalis autem sit illa Dispositio, aut in quo consi-  
stat, magnum nobis facessit negocium. Cùm verò contraria di-  
gnoscantur contrariis: ceu qvæ juxta se posita magis elucent;  
Agensq; & Patiens semper inter se sint contraria, qod omnis  
actio fiat inter contraria, qvæ sub eodem genere continentur, &  
agens agat, ut sibi simile reddat aut ē subjecto expellat patiens:  
Agens autem in Peste, ut ex præcedente qvæstione constat, sit  
**Qvalitas occulta**, inexplicabilis, venenata, Homini & in primis  
cordi, peculiari qvædam antipathia contraria, spiritus occultâ ra-  
tione dissipans, aut eosdem & humores peculiari, sibi propriō, &  
specifico modo corrumpens. Ergo patiens Agenti contrarium,  
erit **Qvalitas occulta** s. inexplicabilis, (& ita genere conveniunt)  
non venenata, Homini, & in primis Cordi, peculiari sympathia  
amica & familiaris, spiritus occultâ ratione colligens, eosdemq;  
& humores peculiari & specifico modo fovens atq; conservans.  
Qvalis qvædam vis & qvalitas non nisi à Formâ immediate ema-  
nare, & in Corde præcipue residere potest: Estq; certa & pecu-  
liaris qvædam corporis & cordis proprietas, cuius ratione pesti-  
lenti veneno resistere potens existit, Alexipharmacorum facultati

& naturæ verè analoga, corpori scil. nostro amica, pesti q̄, toto genere aduersissima. Verum ut hæc ipsa antidotorum facultas, agendi q̄ue modus totus nobis imponit, & verbis satis determinari nequit, ita & illa Corporis & Cordis qualitas specialius determinari se non patitur. Addo, quod contrariorū eadem sit scientia: Pestilentis autem veneni ratio specifica nos lateat: E. & Patientis seu dispositionis hujus absolutam rationem nos latere seqvitur: adeoque verum est hīc, quod Acutiss. Scal. habet Exerc. 307. l. 21. sicut Vulpes elusa à ciconia, lambimus vitreum vas, pultem haut attingimus. In hāc ipsā igitur qualitate dispositionem illam ad Pestem vel facilius vel difficilius suscipiendam latitare putamus: Nihilque aliud, nisi major vel minor pestilenti veneno resistendi videtur esse Inæqualitas, idq; repellendi Impotentia. Pro ut ergo illa qualitas & proprietas in hoc vel illo individuo robore vel imbecillitate variat; ita & idem ad Pestem promptius vel tardius suscipiendam magis vel minus disponit. Et hinc facile ratio reddi potest: Cur qvidam, qui peste infectis operas suas locarunt, impunè non raro cum iisdem convergentur? quia scilicet vis illa resistendi sæpè in talibus admodum valida existit, qd minus à veneno pestilente superari aut oppugnari queat: hinc tales contagium secum circumferre aliisque communicare possunt, iis ipsis tamen impunè id ferentibus: Qvamvis & hīc animi præsentiam & consuetudinem haut parum posse, non negaverim. Hinc fortè etiam accidit, ut integræ sæpè familiæ hāc lue extirpentur, & Consangvinei ab alio sanguine juncto promptius qvam alii, qvibus cum ægris nulla intercedit sanguinis conjunctio, corripiantur: quia consangvineis similis qvadam naturæ proprietas & veneno pestilenti resistendi robur ferè contigit, ita ut illud uni noxiū alteri quoq; sit adversum: idemque venenum non sine subiecto ē corpore in corpus transiens, facilius in corpus, illi à qvo communicatur, analogum sese insinuat, & ab eo, ceu ejusdem cunl priore resistentiæ promptè recipitur.

# QVÆSTIO III.

## An semper in Peste Febris adsit?

Affirmativæ patrocinium multi magni nominis Medici suscipiunt, in primis verò, qvi Pestem è solâ putredine deducere conantur, pleriqve ei qvoq; Febrem ab hâc dependentem perpetuò conjungi defendunt. Verùm qvamvis ad talem putredinem, qvalem illi fingunt, facilè febrem putridam accendi & Pesti conjungi posse non negaverim: attamen cum putredinem de Pestis Essentia non participare, neq; semper, per se, & in omni peste eam reperiri, satis, ut opinor, primâ qvæstione demonstratum sit; nec Febrem à putredine dependentem perpetuò Pesti conjungi, adeo-qve pestem sine Febre dari, spontè inde seqvitur Ephœmeras enim & hec ticas pestilentes propriè dictas non agnoscimus. Nam qvæ propter similitudinem, ratione subjecti, qvo cum propriè dictis conveniunt, ita vocantur, perpetuò corruptionem specificam aut putredinem conjunctam includunt, id qvod maculæ vel bубones aut carbunculi in his febribus erumpentes satis demonstrant. Vid. Cl. Dn. D. Præf. in tr. de febr. p. 819. & Gal. I. i. d. diff. febr. c. 5. qvi omnem febrem pestilentem à putredine fieri afferit. Et quidem, si semper & necessariò Febris cum Peste conjungentur; ea vel de Essentia Pestis, vel de symptomatum & effectuum ejusdem numero participaret. At non de Essentia: cum hujus ratione omnino invicem differant, Febrisq; Essentia, ut Gal. habet 6. Epidem. com. i. t. 29. non secundum Hippocratem modò, atq; alios præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominum consensum, sit p. n. caliditas, maximè quidem in totum animal effusa, sin minus, at omnino in pluribus partibus vel in nobilissimis accensa: Pestis autē natura in occultâ venenatâ qualitate, Homini totâ substantiâ contraria, cujus ratione corpus αθεցως lædere, vires prosternere, mortemq; inferre valet constat. Unde actionibus quoqve & effectu differunt: Febris namqve calorem corporis in igneum mutando, Naturales in primis actiones lædit: Pestis contra, qvovis alio veneno expe-

ditius & acerbius cor vitæ fontem obsidens'; vitalis potius Facultatis destructionem intendit, præsefertq; perniciem quâvis intemperie nocentiorum, omni putredini ferociorem, & quamquam nulla febris tam præsentem unquam intulerit, ut Anton. Sarrac. loquitur tr. de Peste p. 46. Accedit quod Pestis characteribus suis quandoq; sese prodat, nullis febris conjunctæ signis apparentibus. Vid. Forest. lib. 6. observ. X. At neq; symptomatis aut effectus pestilentis nomine venit febris: Pestis enim quâ pestis symptomata omnia occultæ qualitati causam suam acceptam referunt, & qualitas occulta qualitatem manifestam per se intendere aut producere nescit: Omnis enim causa effectum sibi congenerem per se inducit: unde & Pestis solùm occultos & sibi congeneres effectus producere apta nata est: At Febris est qualitas manifesta, & tota à qualitate manifestâ calore dependet: E. à Peste ceu qualitate occultâ, non minus atq; hæc ab illâ per se produci nequit.

Quæ cum ita sint, Febrisq; neque de Essentia, neque de symptomatibus Pestis participet: sequitur Pestem & Febrem diversos duos ac dispareos nullaq; inter se affinitate conjunctos affectus esse, quorum quisque suam peculiarem causam agnoscat, cuius ratione tūm definitione tūm Curatione differant. Unde Febris verè pestilens potius Pestis cum febre putridâ comitata indiganda venit, febrisque iis, quæ pesti ex accidente, aut ratione subjecti superveniunt, neq; per se ullam perniciositatem sapiunt, & adesse vel abesse possunt, annumerari debet. Nam si ipsum venenum pestilens variat, ut variat, & nunc hujus vel illius exhibiti toxicí naturam æmulatur: nec pro hujus varietate eadem perpetuò symptomata, per se & immediatè à veneno producta, in quavis pestilenti constitutione apparent; sed quæ in illâ peste apparabant, in hâc non conspiciuntur, & contra: quid ni & Febris, quæ neque de Essentia Pestis participat, neque symptomatis ejusdem rationem habet, adesse vel abesse poterit. Quamvis enim utraque, Pestem & Febrim, ut plurimum, & in omni ferè pestilente constitutione invicem implicari non impugnemus: necessariò tamen & perpetuò in omni peste, aut omni individuo peste

cor-

correpto utraque conjungi ipsa refragatur Ratio & Experientia. Et illa quidem: si venenum sit vehemens admodum, tenue & spirituosum, atq; adeò ad ipsos spiritus analogiam qvandam habeat, viresq; usq; adeò imbecilles sint, ut nec satis veneno resistere, nec illud à se procul amandare valeant; expeditissimè enim tūm spiritibus sese permiscens corruptionem specificam iis induet, pestemq; sine febre ingenerabit gravissimam, qvæ hominem nullā prævia putredine & hinc dependente febre brevi temporis spatio interimat. Pro Experientia Observationes & Authoritates Gravissimorum Medicorum adducimus, ut Hipp. 3. Epidem. sect. 3. t. 25. & 55. Galen. 9. de simpl. cap. de bol. armen. Forest. lib. 6. observ. 10. Hieron. Mercurial. de pest. c. 18. Paræi de Pest. cap. 10. Gerard. Columb. de febr. pestil. l. 1. cap. 27. 32. Et Thucyd. qui accuratissimè insignem illam Pestem Atticam describens, febris tamen non meminit.

## QVÆSTIO IV.

*An Sudorifera in Peste semper in Principio curationis convenient?*

Nos Affirmativæ sententiæ subscribimus; ipsisq; sudoriferis, qvæ de genere Alexipharmacorum sint, in Curatione Pestis nihil magis commendatum habemus: utpote in qvibus juxta Deum omnis salutis spes in primis collocanda; & proinde ab iis curationem semper auspicandam esse censemus. Licet enim in aliis morbis non venenatis sudorum provocatio non rectè & utiliter, nisi concoctâ materiâ, & universalibus evacuationibus præmissis, instituatur; Pestis tamen, morborumq; pestilentium longè alia ratio est & conditio: neque enim hic omnes omnino illas conditiones, qvæ in aliis morbis praecipiuntur, obseruare vel accurate examinare necessarium est, sed peculiare quid hic & similes pestilentes morbi in hoc auxiliorum, genere sibi vendicare videntur. Nam, cum humores à veneno pestilente inquinati & corrupti nullam planè concoctionem subeant, sed omnem ejus spem & operam eludant, neq; venenatae iis introductæ qualitatis sævitia & immanitas tantum temporis, ut

concoqui possent, relinqvat: subitam sui è corpore expulsionem  
indicant: Omne enim corruptum nihil nisi sui ablationem  
indicat, & proinde sine morā è corpore pellendum, neq; Medico  
cessandum, inquit Crato in assert. pro:tr. Germ. de Pest. pag. 1150.  
Verūm humores hi non solum ut corrupti & ad concoctionem  
inepti expulsionem sui indicant, sed & potissimumq; ut vene-  
no inquinati & corpori non minus atq; illud ipsum infesti; & ut  
agitatione reliquis humoribus permiscantur, eosdem inquinant,  
malum augent, hominesq; in præsentissimum vitæ discriminem ad-  
ducunt: E. hujus indicationis ratione, ulterius & fortius adhuc  
subitam sui sublationem urgent. Sed quia veneni potissimum  
ratione indicationem hanc suppeditant; Igitur venenum ipsum  
adhuc magis sui ablationem indicare probabile est: Imò nec ali-  
ter sese res habet; cum enim venenum hoc, si in corpore tolere-  
tur, præsentissimum interitum minetur & maximè urgeat, atq; ve  
insuper indicantis primarii & curatorii rationem habeat, cæteris-  
que indicantibus præpolleat; ejus indicationi omnium primò sa-  
tisfaciendum erit: Indicat autem sui per contrariam occultam  
qualitatem destructionem, discussionem, seu è corpore expulsi-  
onem. Ulrisq; ergò indicationibus unâ operâ commodius qvâm  
sudoriferis, qvæ de genere Αλεξιφαρμακων sint, satisfieri vix pot-  
erit: qvippe qvod hic expulsionis modus per cutis poros institu-  
tus omnium commodissimus sit, & naturam ( qvam Artem imi-  
tari decet ) ducem & authorem habeat: qvæ libertè & rectè agens,  
venenum & tenues corruptos humores in peste per insensibiles  
cutis meatus discutere & excernere consuevit, atq; hanc expulsi-  
onis viam huic morbo quasi consecravit. Hac enim expulsione  
arte institutâ, veneni vis alexiteriâ sudoriferorum vi infringitur,  
eyincitur, destruitur; cumq; illud aereum sit & spirituosum, atq; ve  
in principio adhuc mobile in corpore obserret, neq; altam sedem  
fixerit; facile sudoriferorum actioni cedens, ab interioribus no-  
biliaribus partibus ad exteriōres ignobiliores protruditur, & per  
αδηλον Διγ. πνοην discutitur, aut sensibiliter cum humorib; corru-  
ptis expellitur, radicitusq; extirpatur. Qvin & Cor iisdem sudori-  
feris reficitur & confirmatur: Alexipharmacum enim præter vim oc-  
cultam veneno contrariam, aliam adhuc cordi amicam & appro-  
pria-

priatam obtinent: tantumq; abest, ut vires sudoribus his dejiciantur, ut potius veneno antea oppresse, eo jam discusso, & hoste profligato allevientur, & dictâ alexiteriorum vi iterū corroborentur, qvò postmodum contra td qvod reliquum est, validius insurgant. Imò iisdem corpus transpirabile redditur & ad sudores disponitur, ut postmodum Natura spontè expellat, eidemq; q. manu via monstratur, deses atq; iners excitatur, & ad expulsionem invitatur, aut iam expellentis conatus laudabiles adjuvantur & promoven-  
tur. Neq; est, ut h̄c febris pr̄sentiam, qvę sudoriferorum in primis calidorum usum interdicere posse videatur, adeò attendamus; qvippe qvod ejus indicatio veneni indicationi non pr̄apolleat, & jam non Febris, sed Pestis magis urgentis, curationē intendamus; imò nec semper h̄c in Peste, aut perpetuò statim in ejus principio, ut iam antea probatum, adsit vel appareat, sed plerumq; hujus comes, invalecente morbo succedat. Et si omnino aliqvod periculum ex sudoriferorum, maximè calidorum, usu immineat, non tamen cum periculo à veneno pestilente expectando conferendū, nedum æqviparandum erit: qvin potius ē duobus malis semper eligendum qvod minus; Imò plus commodi sudorifera venenum destruendo & exturbando, qvām damni aut periculi calorem excitando vel augendo, pr̄stant. Qvin & pr̄caveri aut certè imminui periculum illud poterit, si alexipharmacis & sudoriferis calidis, frigida, ut acetum, succi accidi & simil. admisceantur: ita enim minus nocebunt. Qvod si & Vires, qvarum in Peste non minoratq; ipsius veneni habenda ratio, in hoc auxiliorum genere consularuntur, nec h̄c sudoriferorum in principio usum dissuadebunt: nam cum pro h̄c expulsionis viâ & modo insigne earum robur & constantia requiratur, qvod semper apertis cutis spiraculis spirituum & calidi aliqvid exspiret, illæ autem, si in quo morbi tempore alio, maximè in principio adhuc constent; sudoriferorum usum ceutum tutissimum & ipsæ urgebunt, eundemq; ve facilius ferent. His insuper materiæ seu humorum corruptorum in principio paucitas consentit; cuius copia aliàs sudorem inhibere solet, ne ad ambitum corporis eâ propulsâ, insensiles cutis meatus & spiracula occludantur, putredo accendatur, corruptioq; humorum augeatur. Tandem assertioni huic ulterius suffragium pr̄stant.

Ratio

**Ratio & Experientia:** Quidam venenum pestilens non illicet  
& in principio statim totam sanguinis massam inficiat, sed corpus  
vix ingressum, & nondum altis radicibus aestis, in halitus sanguini  
substantiam aut tenuibus humoribus hæreat, inde latius ser-  
pat, atque humores fermenti instar inqvinet: unde, ceu illud massæ  
fermentandæ injectum & non subactum, massæ non alterata ite-  
rum auferri potest: ita & venenum in corpus, in primis per poros  
cutis admissum, atque alicubi hærens, humoribusque nondum u-  
biique & exactè permistum & subactum, iterum auferre, atque per  
sudores discutere & eliminare haut erit difficile: id quod ipsum  
sæpius Experientia confirmavit, ita ut ægri sæpè unico largiore  
sudore in principio excitato toti à Peste fuerint liberati. Atque  
hac ratione veneno maxima in partem oppugnato, febris & sym-  
ptomatum, nisi simul remittant, ratio haberi, atque Indicationi-  
bus cæteris satisfieri poterit: nunquam tamen veneno prossus  
posthabito vel neglecto. Vomitum etiam sudoriferis præmittere,  
si æger ad eum facilis, & ventriculus cibis repletus sit: vel clyste-  
rem, si alvus astricta, & primæ viæ minus expeditæ, non erit in-  
conveniens.

## QVÆSTIO V.

*An Phlebotomia in Pestis Curatione conveniat?*

Cum in nullo alio, quam hoc ipso Venæsectionis, auxiliorum  
genere tantus error committatur, & hic omnino de salute & mor-  
te ægrotantis agi videatur, variisque variè sentiantur; jure, an Venæ-  
section in Pestis Curatione conveniat à nobis queritur. Verum  
quamvis illam huic directe non opponi, neque à peste per se, & ut  
morbo occulto, aut ab indicatione curatoria eam indicari, non  
ignoremus: alias tamen quandoque ob causas & circumstantias  
Venæsectionem in Peste non utilem modo, verum maximè ne-  
cessariam agnoscimus, eamque ab indicatione Præservatoria sæ-  
pius indicari probabimus. Nam si venenum in corpus plethori-  
cum, in primis quoque ad vires tale incidat, cui sanguis oneri potius  
sit quam usui, & virium tanta hinc subsequatur oppressio, ut huic  
potius succumbere, quam veneno resistere opus habeant: tum  
ipsa Venæsectione nullum præsentius fuerit auxilium.

Cum

Levata enim ut Gal. habet II. m. m. c. 15. quæ corpus no-  
strum regit naturâ, exonerataq; eo, qvo velut sarcina premitur, haut ægrè qvod reliquum est vincet: Itaq; proprii muneris haue  
obliita, & concoqvet, quod concoqvi est habile, & excernet, qvod  
potest excerni. Deinde, si præter hoc ipsum aliud plethoræ genus  
animadvertisatur, ita ut natura humores amplius regere nequeat:  
unde ii veneni corruptionem promptissimè subeunt, causæq; Pestis antecedentis aut conjunctæ rationem tandem induunt; aut  
febris putridæ, vel ( agitatione turgentे ) internarum inflammatio-  
nium viscerum, aliorumq; symptomatum supervenientium,  
causæ fiunt. Qvibus omnibus sola tempestiva, ceu à magnitudi-  
ne vitii in sanguine indicata, occurrit Venæsectio: veneno fomi-  
tem uberiorem subtrahendo, materiam causæ antecedenti & con-  
junctæ suffurando, symptomataq; innumera præcavendo.  
Qvamvis verò hæc Indicantia venæsectionem postulent; tamen  
si qvà alibi conditiones, in phlebotomia attendendæ, hic potissi-  
mum in Peste observandæ veniunt. Primò igitur Vires, qvarum  
in Peste ingens necessitas, non modò constent, verùm & robur &  
firmitatem ulteriorem promittant: Non enim præsens saltem,  
ratione Venæsectionis, sed maximè futura, ratione morbi gravissimi,  
virium constantia reqviritur. Hinc Ætas consentiat: pueri  
enim & senes aut decrepiti venæsectionem haut ferunt. Demum  
ἰδιωσύνηρασία aut naturæ ægrotantis proprietas non repugnet:  
alii enim largam, alii moderatam Venæsectionem amant, alii ad  
primum sanguinis intuitum animo delinqvunt. Äger ergò insuper  
Venæsectioni assuetus sit: qvantum enim Consuetudo, qvæ altera  
q. natura est, valeat, vel Erastus in Epistola ad Conrad. Gesner.  
de Peste confirmat: Una Consuetudo, inquit, præstare videtur,  
ut nostris hominibus Venæsectio in hoc morbo minus nocere vi-  
deatur: In hâc enim Peste prorsus multi ex rusticis vicinorum pa-  
gorum nullo alio remedio ( loquitur autem de curatione ) peri-  
culum effugerunt. Hæc ille: Natura enim consuetis gaudet, in-  
suetis adversatur, qvod & Divinus senex 2. Aph. 50 confirmat.  
Consuetis, inquit, longo tempore, etiamsi deteriora sint, insuetis  
minus molesta esse solent. Nulla præterea in primis viis adsit cru-  
ditas, aut alii constipatio, qyæ si animadvertisantur, prius leni cly-

sterre tollantur. Deniq; & tempus Venæsectionis observetur, cum ex intempestivâ Venæsectione plus mali qvām commodi in ægrum redundet, & levis error hīc certissimūm afferat exitium: illud autem principium morbi, maximè si natura nullam adhuc moliatur expulsionem, agnoscimus; morbus enim hic non fert moras aut inducias, & auxilii hujus occasio ilicē subterfugit: igitur intra 24. à primâ invasione horas administretur, cum elapsō primo die virium constantia nobis jam suspecta sit; præmissā tamen semper prius, maximè si plethoræ indicatio nō nimis urgeat, Antidoto, qvā veneni vis obtundatur, à centro ad circumferentiam repellatur, cor & vires confirmentur, qvò sanguinis missio nem eò facilius ferant atque perferant. Qvod si verò ad statum jam morbus properare videatur, aut ejusdem vigor suis signis deprehendatur; venam secare religio sit: Ut &, si materia jam salutarem criticam materiæ corruptæ per viam convenientem expulsionem instituat, & omnia rectè sese habeant atque mitiora appareant, nec qvicquam aliud qvis novare audeat, juxta Aph. Hipp. 20. f.i. Qvæ decernuntur decretavè sunt justè &c. Si verò natura à motu desistat & segniter agat, viresq; permittant, vena naturam in motu adjuvans aperiri poterit. Omnia E. hīc contentiant, nec qvicquam venæsectionem prohibeat.

Confidentius tamen sanguis mitti poterit, si alios in eadem constitutione pestilente venæsectione servatos fuisse videamus: si conservata aliqua sanguinis evacuatio per uterus, vel hæmorrhoides, vel temporis, vel quantitatis ratione, sit suppressa, Vel si æstus humorum plethoræ conjungatur, hac enim ratione hunc non solum imminuemus, qvin & æstum cohibentes occasionem ægro multi aeris contagiosi trahendi subtrahemus, periculumq; adeò subiti collapsus virium effugiemus.

Moderatè tamen semper, neq; ad animi deliquium usque, ne cum sanguine vita simul effluat, sed quantum vires ferunt, sanguinem mitti volumus: Tantum enim abest, ut talis Venæsectio humores ad cutem tendentes vel delatos ad interiora revocet, ut potius illos à centro ad circumferentiam deducat, cum venas interiores majores non ita exhauriat, ut sanguine destitutæ ab exterioribus illum attrahere opus habeant, qvin potius sanguinem in natura-

turalem statum reducendo, eiq; motum naturalem restituendo si-  
mul humores corruptos à corde revellit, & partim cum sanguine  
evacuat, (ut ex sanguine tūm emisso, sæpè ita corrupto, ut fibris  
non amplius cohæreat, videre est) qvò natura id, qvod reliquum  
est, facilius vincat: naturæque expulsionem molientis conatus  
promovet aut eandem nondum expellentem aut torpidam ad  
expulsionem invitat.

## QVÆSTIO VI.

*An in Curatione Pestis purgare liceat?*

Et de Purgatione in Curatione Pestis, æqvè ac de Venæsectio-  
ne, res non satis expedita est: siqvidem & hīc divortium faciunt  
Pragmatici, ut alii eam penitus improbent, alii nec pauci seriò im-  
perent. Nos primam & primariam qvidem Indicationem à Vene-  
no pestifero desumimus; qvod cum per contrariam occultam  
qualitatem sui alterationem atq; destructionem indicet: nullum  
autem catharticum id præstare valeat; neq; enim ullum medi-  
camentum purgans, ut Crato inquit, seminarium pestis ejicit; nisi  
fortè magna naturæ commotione factâ, utilia cum noxiis ejiciat:  
Purgationem, æqvè atq; Venæsectionem à Peste non indicari se-  
quitur. Verùm qvamvis ab ipso veneno Purgationis nulla petatur  
neq; suppeditetur indicatio: nihilominus tamen, qvia corpora  
qvæ Pestis corrīpit, non semper pura sunt & boni succi; qvin po-  
tius sæpiissimè vitiosis humoribus referta scatent, (maximè in Pe-  
ste qvæ famis seu inedia comes est) qui veneno non modò uber-  
rimum præbent fomitem, verùm & ad corruptionem magis atq;  
reliqui laudabiles humores dispositi, eam promptissimè subeunt,  
perniciemq; occultam fovent, unde venenum fortius evadit, la-  
tius serpit, altiusq; in corpus sese abdit: aut pugnâ naturæ cum  
veneno agitati & accensi facile in partem aliquam nobilem ir-  
ruunt, inflammationesq; & deliria concitant, aut febrem arden-  
tissimā accendant, vel sexcenta alia symptomata, qvæ & plethorā  
priori qvæstione comitari posse diximus, hāc ipsâ longè citius &  
promptius accersunt: Horum & similium ratione, qvæ in corpore  
vitiosis humoribus referto jam qvæsi gliscunt, evidens sanè &  
urgens admodum Purgationis indicatio suboritur & necessitas.

Qvæ cuncta & singula qvamvis ad subitam causæ sui antecedentis sublationem & Purgationem maturandam satis esse possint: veneno tamen, ceu indicanti curatorio & magis urgenti, semper prius occurrentum: & proinde Purgantibus etiam Alexipharmacæ, minus tamen calida, ne prædicta symptomata è potentia in actum deducantur, præmittenda erunt, qvibus veneni vis cohercatur, à corde repellatur, aut idem nondum penitus ab illo obfessum defendatur, muniatur, præservetur. Hoc peracto, alteram indicationem exeqvi, & veneno tamen nunquam neglecto, purgationem moliri tempestivum erit: licet adhuc morbus versetur in augmento vel etiam principio: partim qvod antidotorum in primis calidorum usus continuatus aliàs minus tutus sit minusq; efficax: siqvidem à Cacochymia, potissimum in primis viis latente, antidotorum vires frangantur & hebetescant, haut secus, ac si in lutum sordidissimum demergerentur, viæq; præcludantur, qvibus ad effectam sedem iter est, nè viribus integris eò deveniant, ut loquitur Sarrac. de Pest. p. 282. partim & Hipp. jubeat Aph. 29. f. 2. Incipientibus morbis, si qvid movendum videatur, movere: Item Aph. 24. f. 1. in morbis acutis per initia medicamento purgante uti: & Aph. 10. f. 1. svadeat purgationem in valde acutis, si ad sui excretionem invitet materia eo, ipso die; siqvidem differre in talibus malum sit: Invitat autem hic ad sui excretionem materia; partim qvod mota & agitata ejus ad loca inconvenientia non raro impetus animadvertisatur, aut certè metuatur; partim, qvod morbi sævitia & violentia, qvæ humores sordido fædoq; suo inquinamento confestim inficit, totoque genere naturæ inimicos reddit, eos coquere aut in benigniorem vel naturalem statum reducere non permittat, neq; ipsi non raro, ex pravâ in annonæ caritate victus ratione collecti, aliquam concoctionis spem relinquant. Pergandum ergo protinus, ut Gal. in comm. Aph. 10. f. 4. habet, priusq; vires collabantur imminuanturque, vel febribus calor accendatur, aut jam præsens augeatur, vel vagi & errantes sæpè per corpus humores in partem qvampiam principem irruant, vel humores vitiosi pestilentem corruptionem subeant. Si enim in Præservatione à Peste in hoc in primis cardo vertitur, ut corpus purum & in naturali statu conservetur, atq; ab excremen-

tis collectis sæpius repurgetur: quid ni & in curatione Pestis, si  
pravi & morbo fovendo idonei humores ad sint, viresq; cum reli-  
quis permittentibus consentiant, eadem in principio, aut certè  
major purgandi erit necessitas: quippe qvod venenum pestilens  
in corpus admissum, sæpè in principio adeò potens non sit, ut bo-  
nos & laudabiles humores ceu magis resistentes inficere queat: :  
sed vitiosos & ad corruptionem promptè suscipiendam disposi-  
tos primùm invadens, sæpè vires sumat, ut postmodum & bonos  
inficere atq; corrumpere potens evadat. Illis ergò primò corru-  
ptionem subeuntibus tempestivè sublatis hi infici & corrumpi  
non poterunt, adeoq; natura de veneno triumphabit. Citra no-  
tabilem tamen humorum agitationem Purgationem hanc fieri  
volumus: Igitur non nisi Benedicta, mitiora, neq; impensè cali-  
da purgantia, qvæ blandè vitiosorum humorum mineram educe-  
re apta nata sunt, in usum veniunt, & qvæ præter purgandi yim-  
veneno simul resistendi facultate pollent, ut sunt Agaric, Rha-  
barb Syr. Ros. solut. præpar. cum Rhab Pil. Pestilent. & simil.  
Violenta autem & virulenta Pharmaca hic omnino exulant, si-  
quidem iis morbi malitia augeatur, humores nimium agitentur,  
imò boni cum pravis simul expellantur, aut ad alvum præcipiten-  
tur, cum tamen aliàs & per se præceps plerumq; eorum in ven-  
trem præcipitatio in peste accidat, atq; ita diarrhææ & dysenteriæ  
lethales excitentur. Unde sæpius contigit, ut plures purgationes  
interempti qvam curati fuerint, uti observavit Forest. lib. 6. Ob-  
serv. 17. in schol. & Paræus de pest. cap. 24.

## QVÆSTIO VII.

*An Amuleta Arsenicalia & Mercurialia in Peste ali-  
cujus efficaciae sint?*

Qvanta Vis & Virtus Ὀρθαπτικὴ Cordis Pestibus, Arse-  
nico & Mercurio, contra Pestem à Medicis, in primis Italis qui-  
busdam, assignetur; neminem in arte versatum latere arbitror; ;  
adeò quidem, ut neminem, qui gestaverit, decubuisse jurati affir-  
mare non dubitent; & hinc mortalibus his ipsis nihil illustrius à  
Deo Opt. Max. concessum asserant, divinaq; & summi inventa  
Dei prædicent. E contra qvam inanem & nullam planè horum

vim Experientia quoq; sedula s<sup>a</sup>pius observaverit, neq; eventus promissis responderit, nemini etiam non constare existim.

Cum ergo contraria omnino h<sup>i</sup>c sese offerat Experientia, & ultraq; Patronos nostra sit fide dignos & longe gravissimos: Nos neutræ sanè parti fidem detrahentes, mediâ viâ incedimus: Et ut amuleta hæc gestantes s<sup>a</sup>pius à Peste immunes reddidisse non impugnamus; ita eadem semper, & in omni peste id præstissemus, aut præstare posse, adeoq; universalem & peculiarem quandam vim & facultatem, omni pestilenti veneno accommodatam atq; resistentem, obtinere haut concedimus. Quamvis enim Pestem Arsenici aut Mercurii venenum potissimum æmulari non ignoramus, ita, ut pleriq; iater sola Arsenicalia & Mercurialia venena eam reponere non dubitent, neque, hoc modo Pesti cum hisc<sup>e</sup> venenis magnam s<sup>a</sup>pè intercedere cognitionem & sympathiam, eamus inficias: attamen, cum longe major pestilentis veneni deatur varietas, adeò, ut instar Prothei in mille formas & facies conversa, nunc dyspepsias, nunc cicutæ, nunc viperæ, aut napelli, nunc alterius cujusdam exhibiti toxicæ vires, & naturam referat: Amuleta Arsenicalia & Mercurialia in Peste sibi analogâ & sui generis, saltem tantæ, quantæ illa prædicant, efficaciam esse colligimus: In reliquis vero pestilentibus constitutionibus, quæ alia venena sapiunt, tantum abesse videtur, ut iis tantam vim & efficaciam tribuamus, ut potius cum Posterioris Experiencie Patronis, ceu inutilia & inania è foro medico proscribamus. Et ita quidem utraq; Experientia simul stare poterit: Amuleta scil. venenata s<sup>a</sup>pè multum s<sup>a</sup>pè minus aut nihil profuisse.

His ita constitutis, de agendi modo ut videamus, opera pretium videtur: ubi quidem variæ sese offerunt opinones: missis tamen reliquis, Amuleta hæc Arsenicalia & Mercurialia, incertis, ut supra dictum, pestilentibus constitutionibus, occultâ qualitate & totius substantiæ similitudine atque sympathiâ venenum pestilens ad se allicere dicimus: illud quidem, quod corpori appropinquat, aut vestibus adhæret, antequam in corpus recipiatur, naturæ similitudine attrahendo, atq; adeò à peste præservando:

do: Et si in curatione quid præstant, idem, quod corpusjam ingressum est, iterum evocando & eliciendo, atque adeò Curationem Pestis promovendo. Prius probamus; Qvod simile maximè gaudeat simili: Imò quod qualitates etiam manifestæ, calor scil. ignis aut panis recentis, venenum hoc ad se allicit: Ergò qualitatem occultam, cui venenum pestilens analogum existit, ratione  $\alpha\gamma\alpha\lambda\omega\gamma\alpha\zeta$  fortius adhuc trahere, & sibi simile appetere, minus absurdum aut à ratione alienum videtur. Posterius illustrat eadem in manifestis qvibusdam affectibus & effectibus similium attractio: Nemo enim non vidit membra corporis refrigerata frigidæ immissione frigus eliciendo pristinum vigorem recipere: & ex ovis & pomis frigore congelatis eadem aquæ frigidæ immersione frigus sensibiliter ad superficiem evocari. Simili ratione Camphoram admodum calidam (ut ex insigni inflammabilitatis promptitudine & odoris fragrantia constat) in inflammationibus internis & doloribus capitis ex calore, topicis admistam, calorem elicere: & Topica calida è partibus ambustis empyreuma communicatum iterum evocare, non raro deprehendimus. Unde & Amuletis Arsenicalibus & Mercurialibus, si aliter in curatione Pestis quid præstant, similis quædam veneni sibi analogi è corpore attractio omnino concedenda videtur: quippe quod & Scorpion. ol. vel hujus bestiolæ corpus, aliaque venenata animalia proprio ictui afficta, virus communicatum iterum evocare videamus: Imò & idem Scorpionis & aranearum ol. in peste magni admodum usus & efficaciæ prædicetur: quamvis forte in his & similibus topicis, æquè ac de amuletis Arsenicalibus & Mercurialibus, universalis quædam vis omni pesti accommodata (licet Experientia saepius responderit) vix statuenda videatur, nisi quis universalem omnino analogiam & sympathiam venenis, ejus ratione sese invicem appetant, tribuere velit: aut id, quod topica venenata præstant, manifestis qualitatibus, qvibus & ipsa venena prædita sunt, acceptum referre malit.

Qvod verò Arsenicale & Mercuriale amuleti venenum virus pestiferum ad se allicit, & non contra: causa subesse videtur:  
qvod

qvod illud fixum magis, crassioriꝝ; subiecto inhæreat, cui insuper  
altius quoque, atq; exactius permistum sit, & adhuc corpori soli-  
diori, ut avellanæ cortici vel simili, includatur, aut in massam,  
spissiorem arte redigatur, qvò minus confertim totumꝝ; ē suo  
subiecto elici atq; evocari queat: Pestilens verò volatile magis,  
aereum & spirituosum, perq; liberum aerem diffusum, amuleti  
actioni promptius cedat, ab eo sigatur, cohercaturvè.

Ejusdem argumenti est, qvod maligna amuleti qualitas cor-  
pus haut facilè lèdat, idemque eandem non p̄fentiat: Nam ut  
sal ille esculentus suas in corporibus animalium mutationes  
subit, & volatilis atq; animalis redditur; ita & hoc amuleti vene-  
num, si lèdere debet, suas fermentationes, digestiones & muta-  
tiones in corpore subire necesse est: qvod qvia semper non acci-  
dit; (nisi fortè ubi corpus & amuletum motu nimio incalescunt,  
vel hujus massa sudore humectata resolvitur, ut inde vim suam  
affatim & confertim in corpus transmittat, idq; fortius, median-  
te calore excitato, in hoc agat, unde volatile, animale, corporiꝝ;  
proportionatum reddatur, & ejusdem caloris ratione promptè  
ad corrapiatur, sensibileq; & naturæ molestum fiat) Igitur po-  
tius venenum in corpus admissum iterum evocat; idemque feli-  
cius præstare videtur, qvod naturam simul expellentem, facilem  
atq; adminiculantem habeat. Et tantum etiam de hâc  
qvæstione sufficiat.

---

## COROLLARIA.

- I. An esse Epidemium sit de Essentiâ Pestis?
- III. Quæ nam corpora Peste infecta magis sint contagiosa: Viventia, an  
verò mortua seu cadavera?
- IV. An seminarium pestilens in corpore vivente aliquandiu delitescere  
possit?
- II. An Imaginatio Pestem inducere possit?

FINIS.